

detrahebatur, quia et Christo immolando in cruce vestes sunt detractæ. Quinto, concidebatur hostia frustatim et ponebatur in altare, quia et Christus flagris concisus, positus est in crucem. Sexto, hostia comburebatur, quia et Christus ex ignita charitate mortuus est; ligna erant miseriæ nostræ. Septimo, ut significarent ea quæ nos agere convenit itaque mores nostros informarent. « Bovem ergo immolat, quisquis in sæculari vita mundi actibus deditus, de ipsis laboribus suis Deo ministrat. Ovem offert, qui laborare non sufficiens et infirmitate ac ætate seu paupertate a misericordiæ actibus revocatur, per solam innocentiam Deo placet. Capram litat, quisquis veterem conversationem melioris propositi castigatione immutat, » inquit Radulph. in Levit. et Origenes, hom. II. in Levit. « Offert Deo vitulum, qui carnis superbiam labore vincit; ovem offert, qui irrationales iræ motus insipientesque corrigat (nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, et iracundiæ tumore deposito mitem intrate et simplicem recollecteris animum, immolasse te arietem vel agnum puta); hædum offert, qui lasciviam superat; par turturum, qui mentem suam verbo Dei ut conjugii sociat; pullos qui oculos columbinos sponsæ imitatur. » Sic Origenes.

Rursum. Altare est cor nostrum; ligna sunt sanctæ cogitationes; ignis est charitas, hostia immolanda ad introitum tabernaculi est anima et corpus nostrum immolandum ante ingressum cœli; manus impositio est devotio offerentis; sanguinis effusio est pravæ cupiditatis impulsio; pellis detractio interioris voluntatis examen; membrorum concisio est accurata confessio vel mortificatio et satisfactio pro peccatis, etc. Hæc sacrificia obtulit Matthæus de se Christo. Bovem, id est, laborem in prædicando et peragrando orbe arandoque Christi agro: vitulum, id est, promptitudinem obedientiæ; exiliendo de telonio ad Christi sequelam: ovem, id est, mansuetudinem in sufferendis Phariseorum oblocutionibus: capram, id est, vitæ veteris immutationem: hædum, id est, castitatem, quam non modo sectatus est, sed et alios docuit, unde victima virginitatis appellatur: turturem, id est, arctam cum Christo societatem et unionem: columbam, id est, simplicitatem, sequendo Christum ad simplicem vocationem, licet nesciret quo vocaretur: passerem, id est, humilitatem, siquidem suam conversionem humili stylo describit. Obtulit denique verum illud et unicum sacrificium agni immaculati, in cuius oblatione et ipse oblatum est Deo in victimam.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

CONVIVIIUM CUR INSTRUXERIT CHRISTO MATTHÆUS.
I. Ut animi sui lætitiæ indicaret. — II. Ut Christo se gratum ostenderet. — III. Ut socios Publicanos ad Christum attraheret. — IV. Ut factæ renuntiationis suæ indicium daret. — V. Ut valediceret amicis et familiaribus.

THEMA.

Discumbentes eo in domo, ecce multi Publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu. Matth. IX.

Campanam resonantem audivimus in hodierno evangelio, sed non scimus in quo loco, juxta nostram paræmiam. Convivam audimus Christum fuisse in quadam domo: sed in qua domo? Non exponit hoc Matthæus: utique ex modestia, ne qua ratione, si se auctorem proderet, vel minimam gloriolam captare videretur. Quod tamen ille tacuit, manifestavit Lucas, qui ait, Matthæum fecisse Christo convivium, et quidem magnum in

domo sua. Magnum certe fuit hoc convivium, e cujus reliquiis saturati et recreati sunt in cœlo omnes angeli, qui, Salvatore teste: *Gaudent super uno peccatore penitentiam agente.* Sed dicet aliquis: Spirituale hoc convivium et cœleste est: quid vero convivio spiritus cum convivio carnis? Quid cœlesti cum terrestri? Quid convivio mentis cum convivio ventris? An forte hoc convivium tale in terris fuit, ut ad cœlum convivas dirigeret? An ita ventrem pavit, ut mentem etiam saginaret? Ita omnino, tale fuit: uti mox videbimus.

Instruxit hoc convivium Matthæus Christo et Publicanis:

I. Ut animi sui lætitiæ indicaret et alacritatem, ut qui, jam a mundi laqueis expeditus, secura ad cœlum via ingredi cœpisset, quod insinuat S. Chrysostomus, homil. XXXI. in Matth. Videmus aviculas, cum forte e cavea eluctatæ vel dimissæ sunt, avolantes præ gaudio cantilare, quod libertatem suam recuperarint; quæ causa est, cur Turcæ sæpius in foro vænales emant aves,

ut libertati eas restituant, et dimissas gestire audiant, uti Busbequius, in sua legat. Turc. refert. Matthæus in telonio quasi avicula erat in cavea: avaritiæ vinculo alligatus et duram servitutem in mundo velut in Ægypto serviens; quod jam tum intelligere cœpit, uti indicavit B. Birgitta, Amalphi ad sepulcrum suum oranti, in ejus revelat. l. IV. cap. CXXIX. Et cupiebat quidem eluctari; sed non poterat suis viribus, donec manum ei porrexit Christus, et vinculum dirupit. Quo facto quomodo non cantaret, non jubilaret Matthæus? Ita enim Hæbræi et manu Pharaonis liberati cecinerunt, duce Moyses, carmen illud lætitiæ plenum: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare,* Exod. XV. Equus est mundus, carnalis, superbus, injustus: ascensor ejus et domitor quis nisi dæmon? Uterque persecutor Matthæi fuit; uterque demersus est, quando ipse a Christo vocatus est: ergo Matthæus videns se ab his liberatum, suam ostendit, instructo convivio magnifico, lætitiæ, quasi invitans convivas suos ad congratulandum sibi, et intonans: *Cantemus Domino, equum enim et ascensorem dejecit in mare,* quod ego, sedens adhuc in telonio, magno cum timore transivi. Video pene ante oculos meos infinita Ægyptiorum corpora in hoc mari demersorum, qui servientes Pharaoni, dæmoni et mundo, perierunt in divitiis, deliciis et honoribus suis: ego nunc evasi. Hujusmodi avicula capta et illaqueata etiam David erat, quando in luto peccati hærebat: qui postquam Dei ope erutus est, cantavit Psalmum CXV. in quo inter alia: *Dirupisti vincula mea, ait, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Illam plures aliæ secutæ, Psalm. CXXIII. canunt: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Jam audi epinicium: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus; adjutorium nostrum in nomine Domini.* His addamus tyrones sacri ordinis S. Dominici, quos in ordinem suscepit ipsius in generalatu successor, B. Jordanes Saxo, de quo ita Leander Albertus Bononien. in ejus vita, apud Sur. 14. feb. « Accidit ut vir Dei plures tyrunculos nostræ religionis, per ipsam sanctæ conversationis toga indutos, ad quoddam canobium secum duceret: forte illos ad habitum receperat in loco, ubi fratres non habebant ædes. Igitur cum hic ad meritiorum tabernam divertens, et pro consuetudine, hora id petente, officium persolvens, quod completorium dicunt, accidit ut quidam ex iis in risum prorumperet: cæteris vero id cernentibus vehementer et ipsi ridere cœperunt. Animadvertens autem quidam ex sodalibus viri Dei, nutibus adnitebatur eos compescere: at illi magis ac magis ridebant. Tunc Jordanes, dimisso com-

pletorio, et dicto *Benedicite*, ad socium conversus: Frater, inquit, quis horum tyruncolorum tibi curam demandavit? Quid ad te attinet de eorum risu? Et ad illos conversus: Filii, inquit, vehementer ridete, ne inceptum omittatis, quia hoc vobis concedo. Et vero ridere beneque gaudere vos oportet, eo quod e diaboli carceribus existis, fractis vinculis illius, quibus multo tempore vos ligatos tenuerat. Ridete igitur, filii, ridete. Porro illi hoc in sermone consolati in animo, deinceps ridere in ore effuso nequiverunt. » Convivium Matthæi hujusmodi risus fuit, quo sibi gratulatus, mundum derisit.

II. Ut Christo Domino et magistro suo qualem qualem vicem rependeret, et gratum se ostenderet ob acceptum vocationis beneficium, quod indicat Victor Antiochenus, in Marci cap. II. Invitavit Christus, dum transiret, Matthæum in suum contubernium: gratus huic tam nobili invitatori, invitavit etiam ipse Christum ad domum suam, tametsi valde impari sorte. Christus enim ad epulas spirituales, hic ad materiales; ille ad cœlestes, hic ad terrenas invitavit. Fecit tamen quod potuit Matthæus, ne tanto benefactori ingratus foret. Imitatus est hanc Matthæi gratitudinem egenus quidam homunculus, S. Hereberti Coloniensis archiepiscopi quotidianis elemosynis sustentari solitus, auctore Ruperto Tuittensi abb. apud Sur. 16. mart. quod paulo succinctus ita refert Lipelous: « Erat pauperi et abjecto cuidam homini natus infantulus; quem cum nemo e sacerdotibus de sacro fonte levare dignaretur, et pauper iste pontifici suam miseriam cum multis lacrymis exponeret, vir sanctus. Cito, inquit, eum ad me deferto; ego enim puerum sacro latice tingere, et Christo pro eo spondere (velut patrinus) debeo. Tinxit itaque infantem, et sacerdotum superbiam præclaro humilitatis exemplo confudit. Paucis tamen post diebus, cum celebrata apud S. Severinum statione, magno sacerdotum et populi comitatu circumseptus pauperis hujus tugurium pertransiret; ille domo prorumpens, alacri usus confidentia, frænum equi, cui præsul insidebat, corripuit, et benigne præsulem (velut compatrem suum) ad prandium invitavit. Nec abnuvit vir sanctus pauperis subire tuguriolum; ubi nihil præter panem cum asso pullo, tenuique cerevisia invenit: quæ tamen quibusvis ipse deliciis, ut humilitatis, benigneque faciendi disciplinam alios doceret, longe proposuit. » Ergo hic pauperulus, ut raro et eximio tanti pontificis beneficio gratum se quomodocumque ostenderet, invitare eum voluit ad suam qualemcumque cœnulam; plus utique exhibiturus, si plus habuisset, nec vir tantus detractavit. Idem quoque Matthæus

Christo exhibuit, et ipse talis ac tantus summus cœli terræque monarcha libens accepit, adeoque gratiam habuit, neque enim datum, sed dantis animum aspexit, et acceptando hoc convivium, plus ei rependit, sua divina præsentia ipsum honorando, quam ille dederit. Fuisse autem invitationem Christo pergratam facile apparet; quia ex eo convivio occasionem captavit convertendi alios Publicanos, qui simul invitati erant, quos dubium non est ad meliorem frugem reductos esse.

III. Ut socios et amicos Publicanos hac illecebra traheret ad Christi notitiam et amorem, adeoque ad conversionem et sequelam suam. Signum enim veræ conversionis est, satagere ut proximi ab iisdem vel similibus peccati convertantur; quia bonum est sui diffusivum, et charitas instigat ad aliorum perditorum salutem procurandam, cum quis eam in se expertus est. Ergo si cut una avicula capta et cavæ inclusa advocat suo cantu alias, ut in subjectam aream et retia descendant; sic egit Matthæus: pabulum et illecebram convivii proposuit amicis Publicanis, ut exemplo suo in retia Christi caderent. Munus hoc vocandi ad salutem alios omnium quidem Christianorum est; maxime tamen apostolorum erat, quibus speciatim dixit Christus, Matth. V. *Vos estis sal terræ; vos estis lux mundi.* Sal autem nisi condiat cibos; suam acrimoniam illis impertiendo; ad nihil utilis est; quis enim sine cibo salem comedit, cum nec sitim nec famem pellat? Unde S. Gregorius, hom. XVII. ait: *Si sal sumus; condire mentes fidelium debemus.* Similiter et lux, nisi aliis lumen præbeat, ad quid prodest? Quare S. Leo, serm. de S. Laurentio: «Nullus vere bonus; inquit, sibi soli bonus est; nec cujusquam sapientis sibi tantum amica sapientia et hæc verarum natura virtutum, ut multos e tenebrosy abducant errore.» Ponamus solē in sphaera sua ita undique circumseptum opacis corporibus; ut nullum ad alios cœlos et elementa derivare lumen queat; ad quid sibi lux erit? Denique, in forma ignis misit Christus Spiritum s. in primos Christianos; num. 120. ut quem admodum ignis quidquid tangere potest, suam convertere naturam contendit; ita ipse Spiritus s. igne succensi, alios sibi etiā reddere miles; fides nimirum et sanctos, tōte pectoren terentur. Qua de re S. Augustinus, serm. CLXXXV. de temp. «Sedit, inquit, super singulos quasi ignis; de quo Salvator noster testatur, Luc. XII. Ignem veni mittere in terram. De quo dictum est, Deus noster ignis consumens est. Ipse itaque apostolos suos (imo et alios cum eis, ut dixi) vivæ lucis fonte perfudit; ut ipsi postmodum universum

mundum tamquam duodecim solis radii, ac totidem lampades veritatis illuminant. » Similiter etiam in rubo igneo ardente, sed non comburente, apparuit Deus Moysi, quando eum misit ad eripiendum ex Ægypto populum suum; ut hoc symbolo eum doceret, qualis esse populi rector deberet, ardens nimirum ignæ charitatis; non comburens populum, aut consumens nimia severitate, sed conservans et fovens calore, illuminans splendore. Qualem certe se effectum esse ostendit, quando pro eis oravit: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exod. XXXII. q. d. malo potius ego perire, quam ut videam pereuntem populum meum. Pulchre S. Bernardus, serm. XII. in illa verba Moysis: «Vere, inquit, hominem unctum unctione misericordiæ, loquitur plane parentis affectu, quem nulla possit delectare felicitas extorribus, quos parturivit, verbi gratia, si dives quispiam mulieri pauperulæ dicat: Ingredere tu ad prandium meum, sed quem gestas infantulum, relinque foras, quoniam plorat et molestus est nobis; numquid faciet? Nonne magis eliget jejunare, quam, exposito pignore charo sibi, prandere cum divite? Ita nec Moysi placet solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo, sed tolerabiliorem sibi iudicat torsionem, quam avulsionem.» Simili amore flagrans Matthæus, parum suave sibi iudicaret convivium, nisi etiā ad illud vocaret alios sibi notos Publicanos, ut et illi Christum nosse, audire et sequi una cum ipso inciperent.

IV. Ut factæ mundo renuntiationis indicium præberet. Hoc fine etiā Elisæus vocatus ab Elia ad mundi contemptum et Elia sequelam, ecce quid fecit: *Tulit par boum et mactavit illud, et in a atro boum coxit carnes et dedit populo, et comederunt.* III. Reg. XIX. Igitur et aratrum confregit, ejusque lignis coxit vicinis suis carnes: et cur hoc, nisi ad indicandum, quod nuntium jam remitteret ruri rusticisque proventibus, neque aliquid habere vellet, a quo postea de medio revocaretur cursu? Ita enim ibi Gaspar Sanctius. In hunc etiā finem Matthæus convivium vicinis et amicis suis instituit, ut coram iis renuntiaret omnibus possessionibus suis, restitueret aliena, cætera in pauperes elargiretur, et reliquias in hoc convivium impenderet; ut jam nihil amplius haberet, quo revocari ab instituto ad priorem vitam statum posset. Quod idem observare debent quicumque a dæmonis laqueis per pœnitentiam evaserunt, ut ne vel pede uno eis adhuc inhæreant. Laborat enim Satan ut elapsos retrahat, quomodo laboravit Pharaon, ut Hebræos etiā dimissos ad se revocaret. Postulabat primo, ut relinque-

rent in Ægypto saltem feminas et parvulos suos; eoque negato, saltem oves et pecora sua; sed respondit Moyses: *Cuncti greges pergent nobiscum; non remanebit ex eis ungula.* Exod. X. Si enim ista reliquissent, utique in Ægyptum redire debuissent. Eadem de causa vitulum aureum, quem ipso absente erexerat populus, combussit, ut in massam liquaretur, et quasi in carbonem redigeretur; nec hoc contentus, insuper contrivit, seu, ut in Hebræo habetur, *maluit* eum usque ad tenuitatem, ne redintegrari posset: denique, ne etiam ramenta populus colligeret, et rursus in idoli formam eliquata conflaret, sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel: ut nimirum devorata illa ramenta et rursus egesta, colligere horrerent in suis excrementis. Tanti interest, aditus omnes præcludere ad degustatam olim peccati dulcedinem! Expertus est in Stettinensibus S. Otho episcopus Bambergensis, Pomeranorum apostolus, cum idola eorum, quæcumque reperire poterat, omnia confregisset. Quidam enim cives pauca hinc inde disjecta rapuerunt et absconderunt: postea, ubi episcopus, quasi jam perducta ad fidem Christi tota civitate, discessit, idola illa rursus prodixerunt in tripudio, eorumque ostensione populum ad pristinam superstitionem magna ex parte retraxerunt, ut in ejus vita, 2. jul. apud Sur. Nullum ergo idolum peccati converso retinendum.

V. Denique, ut hoc convivio valediceret amicis et familiaribus suis, adeoque sine turbis et malevolentia se eis expediret. Hanc causam inter alias etiā passim adducunt interpretes, et comprobatur exemplo Elisæi, qui et ipse secuturus Eliam, convivium exhibuit rusticæ ac populari turbæ, qua cum vixerat antea; sive ut familiarium amicitiam conservaret, sive ut bona eorum pace, quin etiā applausu et congratulatione discederet. Non sunt culpanda convivia, sed laudanda potius, cum amicitie comparandæ vel stabilindæ causa instituantur, servato interim decore et honestate. Scimus enim per convivia coire amicitias et multa alia bona fieri. Unde celebris illa vox Alphonsi regi Neapolitani: *Amicitiam conservari urna vini, piles et papyri libro,* hoc est, liberalitate, reverentia seu honore, conversatione et humanitate. Ergo ut amici et familiares Matthæi propositum comprobarent ac laudarent, merito in eorum gratiam instructum est convivium. Solent ad nuptialia convivia amici vocari, ut sua præsentia nuptias cohonestent et confirmet: vocantur et ad parentalia, cum vita functis justa persolvimus. Utrumque festum celebravit Matthæus: nuptias quas iniit felicissimas cum Christo, eligendo eum in sponsum, familiarem cum eo et intimum

convictum deinceps habiturus: parentalia, quia mundo mortuus, Christo vivere cœpit, ut dicere posset cum Paulo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Jure igitur merito convocavit vicinos et amicos, dicens quodammodo illud: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam salutis æternæ,* ut ita etiā ipsi invitati participes hujus gaudii essent, et Matthæo congratularentur.

Hæc potissimum videntur rationes fuisse, quæ Matthæum instigarunt ad parandum hoc convivium, sanctæ et honestæ. Felices Christiani ferent si similibus ex causis convivia celebrarent. Verum in hoc pauci imitantur Matthæum. Quæruntur propria commoda, eaque fere terrena, solum profana lætitia, mutua invitatio, favor humanus, pompa et ostentatio vana: non invitatur Christus, non pauperes, non errantes, ut ad viam reducantur. Quibus dici potest illud Amos VI. *Væ, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti: et nihil patiebantur super contritione Joseph,* hoc est, super Israelitis, qui atterebantur ab optimatibus sese ditantibus et saginantibus ex rapinis et pauperum sudore; qui quotidie epulantur splendide, et Lazarum præ foribus esurire inter canes et perire sinunt: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ,* ait Ezechiel, cap. XVI. *superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius: et filiarum ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant,* quia putabant suo ventri decessurum id, quod in pauperes expendissent. Ex adverso pii cum egenis mensam suam communicant: cives etiā et vicinos suos invitant, ut amicitiam stabiliant, pacem inter dissidentes concilient, etc. Hæc sunt convivia, quibus una cum hominibus pascuntur etiā ac recreantur angeli; quin et angelorum gaudium, ipse Dei Filius, Christus Dominus noster.

CONCIO II.

QUALE CONVIVIIUM EXHIBUERIT CHRISTO MATTHÆUS.

I. Quale Carolo IV. imp. civis Pragensis, donando ei omnia sua. — II. Quale Romæ quidam dives, offerendo etiā affectum. — III. Quale S. Laurentius proposuit Valeriano, offerendo seipsum. — IV. Quale exhibuit Deus Petro, Publicanos et peccatores offerendo.

THEMA.

Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat magister vester? Matth. IX.

Mos est, auditores, omnium fere gentium, et amicos et gratos hospites convivio excipiant. Ge-

tissimus amicus venit ad Matthæum Christus, cum de teloniarum infami officio evocatum adlegit in suorum discipulorum sanctissimum collegium. Itaque Matthæus fecit ei convivium, et quidem magnum, in domo sua, ut scribit Lucas. Porro sicubi magnum aliquod habitum est convivium, prout statim sunt ad interrogandum homines, quale tandem illud fuerit, quæ ciborum fercula, quæ epulæ appositæ, ut vel ex auditu satiare non nihil et ipsi appetitum suum possint, qui gustu non potuerunt. Non potuimus nos interesse illi convivio et satiare appetitum nostrum: satiemus ergo auditum, audiendo et expendendo quale fuerit id convivium. Solet etiam nidus boni cibi non nihil dare virium et refectionis: forsitan etiam nidus hujus convivii reficiet animas nostras.

I. Fuit convivium, quale Carolo IV. imp. exhibuit quidam Pragensis civis: «Auri nummum centum millia, recepto chirographo, dederat is mutuo imp. Carolo. Eum postridie ad prandium invitavit, convocatis aliquot regulis: convivium more Bohemico splendidissimum apparavit. Cum vero potioni et caseo, ut illi consueverunt, locus esset (neque enim saccharis confectionibus utuntur) chirographum in catino aureo jussit adferri, admirantibus convivis, et quid hoc sibi vellet, quærentibus. Cætera, inquit, fercula, Cæsar, communia tibi cum hisce optimatibus fuere; hoc tui solius erit. Nam aurum, quod mutuavi nudius tertius, tibi dono, omneque debitum remitto.» Ita Æn. Sylvius in comment. Panorm. l. IV. cap. XLII. Dico jam Matthæum non absimile ferculum apparasse Christo. Quando enim ipsius amore valedixit uxori et domui suæ, telonio et divitiis ac deliciis suis, ex divite et famoso officiali factus pauper et humilis Christi discipulus; nonne hæc omnia bona sua auro pretiosiora ipsi quasi donavit et obtulit, adeoque igne amoris combussit? Quis nescit, quanti æstiment homines suas conjuges, parentes, liberos, domum, patriam, amicos, cives? Nonne pro eis pugnant, litigant, et extrema quæque pericula adeunt? Nec mirum; ipsa natura hoc docet etiam animalia ratione destituta. Vis ergo inferri naturæ debet, cum hæc deserenda sunt. Magnis laudibus et merito extollitur Abraham a ss. patribus, quod ad Dei vocantis vocem: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui*, illico paruerit, nesciens certum et definitum locum ad quem eundem esset. Quam dulcis enim patria sit, patet ex Græcorum proverbio, qui aiunt: *Patriæ fumus igne alieno luculentior*. Patet in Ulysse, qui Ithacam patriam suam, in asperis licet saxulis tamquam nidum affixam, immortalitati anteposuit, teste Cic. lib. I. de orat. in Vespasiano imper. qui

Cossana prædia crebro excursionibus repetebat, quia natale solum erant, teste Suetonio: in Galeo, qui suam Pergamum adeo diligebat, ut nullis imperatorum et principum promissis alio transferre domicilium vellet. Denique, Sanctus Augustinus, sermon. LXVIII. de temp. «Cui inquit, non est dulce magis patrium tugurium, quam palatia peregrina, et voluntaria casa, quam digesta prætoria? Cui non est durum illos consocios natalium parietes, dulcia illa limina atque amabilem larem, quem et parentum memoria et ipsius infantie rudimenta commendant, ubi cunabula illa novi et mox orientis hominis famulabantur, ubi secunda alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni simplicitate felices, quos sibi inter lascivos atque ipsius ætatis lusus, vernaculo genuina solo necessitas exhibebat, etc.» Sed parum est relinquere patriam respectu charæ conjugis, dulcissimorum pignorum et parentum, dilectæ familiæ, possessionum, commoditatum, deliciarum, quæ velis remisque quærentur, et mordicus retinentur, et acerbius relinquuntur. Omnia hæc Matthæus simul et semel uno disco apposuit Christo, et coram ipso concremavit, nulla allectus promissione magnificæ mercedis, quam tamen habuit Abraham et expectant homines alii. Quale et quantum est hoc ferculum! Quantum laborant sæpe pauperes, ut vel unum nummum emendicent ab avaro! Matthæus ad unam Christi vocem simul omnia dedit, adeoque holocaustum obtulit Deo gratissimum, nihil sibi et suo usui de victima reservans.

II. Fuit convivium, quale fertur exhibuisse Romæ trapezites quidam Romanus, cujus nomen taceo, apud Hadr. Junium, animad. l. IV. cap. VIII. Is enim quoties novæ mensæ seu ferculorum missus inferebantur, toties antiqua una cum patinis et calicibus *argenteis* projici in præterfluentem Tiberim per fenestram jussit. Tale dico fuisse etiam convivium Matthæi: non enim solum quæ habuit, reliquit; sed etiam vasa, hoc est, affectam, facultatem et cupiditatem habendi vel acquirendi abiecit, nihil amplius desiderans vel quærens in hoc mundo. Poterat Matthæus in sæculo sperare honores, divitias et delicias, quas acquirere licebat: vasa illa vacua erant; quæ impleri poterant, sed ut hæc a se abiecit et projecit quodammodo in flumen, et recipere non posset. Paucorum istud est: multi enim sua distribuunt, sed spem plura acquirendi retinent. Ita Alexander Magnus profecturus in Asiam cum exercitu, regias opes suas pene omnes in milites ac duces distribuit. Rogante vero Perdica: *Quid tibi rex nunc superest? Spes*, inquit, *et bona Persarum*, Plut. in Alexandro: insidiabatur enim Persidi. At hoc

non est sua relinquere; sed cum melioribus commutare velle. Multi invitant alios ad convivia, ut vel rursus invitentur, vel aliam majorem gratiam venentur. Dissuasit istud Dominus, Luc. XIV. cum jussit potius invitari eos: *Qui non habent retribuere*. Noster Matthæus invitavit etiam discipulos ejus, a quibus nihil lucri reciproci sperabat; et si Publicanos invitavit, ideo id fecit, ut similes sibi redderet, non ut ab ipsis quid reciperet. Legimus Matth. VIII. accessisse quemdam Scribam ad Christum, ac dixisse: *Magister, sequar te quocumque ieris*. Verum Dominus respondit: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Quibus verbis, ut voluit Sanctus Hieronymus et Augustinus, ulcus illius delegit, indicans eum sequi Christum velle, ut vel honore quærat, cum avibus sibi nidum in alto structuris; vel opes conquirit, ut cum vulpe in fovea avaritiæ conquiescat. Intellecta ergo Christi paupertate, vanus homo se subduxit, ut tacite innuere videtur Matthæus. Utinam non plures similes huic forent, qui spe lucri aut honoris omnibus se abdicant, ut meliora capiant! *Effunde sicut aquam cor tuum*, inquit Jeremias, Thren. II. ita scilicet ut nec odor priorum honorum, quæ pro Christo reliquisti, in te remaneat. Qui affectum ad ea retinent, effundunt cor suum ut vinum vel unguentum, cujus odore adhuc pascuntur. Totum cor vult Deus, non dimidiatum. Tritum est illud S. Basili ad senatorem sæculo renuntiantem ea lege, ut aliquid e bonis sibi reservaret, unde otiosus degeret: *Et senatorem perdidisti, et monachum non effecisti*, quod laudat citatque Cassianus, tract. de spiritu philargyriæ, cap. XIX. Idem illi dici potest, qui rebus renuntiat, affectum vero retinet.

III. Fuit convivium, quale S. Laurentius martyr proposuit Valeriano imp. quando semiassatum corpus suum obtulit ei in cibum: vel potius quale Christus Dominus nobis proponit in s. eucharistia, dum seipsum nobis in cibum dat. Hac ratione, inquam, S. Matthæus dedit Christo, non tantum sua, sed seipsum quasi in cibum, ut in ipsum converteretur, et totus quantus esset ipse, eique assimilaretur in vitæ sanctitate. Simili quodam modo Æschines se Socrati magistro suo obtulit in discipulum, ob omnia paratum: apud Senecam, l. I. de benef. c. VII. quamquam ad disciplinas tantum humanas capessendas et mores civiles addiscendos, ut melior a magistro redderetur. Matthæus vero noster ad cælestes disciplinas et virtutes cælo dignas perdiscendas Christo magistro suo se tradidit, unaque omnes suas actiones, intentiones, voluntates, desideria, abores, opera, ad omne ejus obsequium, ad om-

nem voluntatem, ad ipsam quoque mortem, uti expendit S. Basilius, in regulis fusior. interrog. VIII. *Matthæus*, inquit, *non lucra modo reliquit, sed pericula etiam contempsit, quæ ipsi totique ejus familiæ a civitatis magistratibus imminabant, quod redemptorum a se vectigalium rationes discedens non confectas reliquisset*. Quod si propter hoc magistratibus Judæorum nihil sustinuit; certe postea a gentilibus mortem pro Christo pertulit, et sustinuit perlibenter, ad altare obruncatus, victima Christi pro tuenda ejus fide et dilectione factus. Denique, non parum est abnegare semetipsum, et propriam voluntatem alteri subjicere; quod etiam Matthæus fecit. Multi parati sunt offerre Deo sua et dare munera, sed non seipsos. Horum antesignanus Cain obtulit Deo sacrificium de frugibus terræ a se excultæ; sed non obtulit seipsum, ideo Deo displicuit una cum suo munere; quia, ut Septuaginta judicant, male divisit, dando Deo fruges, sibi seipsum. Unde illi sic vertunt: *Non, si recte offeras, non recte autem divides, peccasti?* Quomodo male divisit? Quia: «Seipsum sibi retinuerat (ait Rupertus, l. IV. in Gen. cap. II.) Cain cor suum retinuit sibi, et fructus terræ obtulit Deo: Abel autem primo cor suum, deinde rem suam.» Sic ille. Indicat hoc sacer textus, dum ait Deum respexisse ad Abel et ad munera ejus: prius ergo ad Abel, quam ad munera: prius ad offerentem, quam ad oblationem respexit. Non bene divisit et obtulit ille, qui vovens dimidium rei inveniendæ Mercurio se oblatum; postea, invento sacculo nucibus referto, sibi nucleos omnes, idolo cortices dedit. Idem agunt, qui offerunt munera templis et hospitalibus, seipsos autem subtrahunt Deo, persistentes in peccato. Non quærit Deus nostra, sed nos. Fames in Ægypto non solum duravit biennio, donec subditi omnem suam pecuniam expenderent pro frumento, et traderent Josepho: ne solum quadriennio, donec etiam pecora sua darent; sed duravit ulterius usque ad sextum et septimum annum; donec etiam terram suam ac denique seipsos vendere Pharaoni in servitutem cogerentur, Genes. XLVII. Septenarius numerus perfectus est, perfectam renuntiationem indicans, quæ consistit in resignatione sui ipsius. Hanc quærit Deus, non pecuniam, nec pecora nostra; et fames Christi non quiescit, donec ipsi nos in servitutem ei tradamus: propterea ipse tam expresse dixit Luc. XIV. *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*. Quod suo modo facere omnes possunt ac debent, dando Deo cor, amorem et voluntatem suam ad faciendam voluntatem ipsius.

IV. Fuit convivium, quale exhibuit Deus Petro apostolo in visione quadam, Actor. X. quando ei in excessu mentis posito proposuit: *Vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis de caelo submissum in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentina terræ, et volatilia cæli, addita voce: Accide et manduca.* Linteum hoc, cum Petrus jam vellet cœnulam degustare, instar mappæ fuit, epulis spiritualibus instructa, ut ante refectiōnem corporis sumeret refectiōnem spiritus. Quenam igitur erant epulæ? Quadrupedia, feræ seu bestia (ut addit Græcus), serpentina et volatilia, adeoque multa immunda animalia, quæ significabant ad litteram gentiles ad Christum Petri opera convertendos: tropologicæ, omnes peccatores. Hujusmodi ergo immunda animalia erant Publicani et peccatores publici, quos ad convivium Christi invitavit Matthæus; sed quo fine? Ut Christi benevolentia, humanitate et doctrina allecti, ad ipsum pari modo sequendum traducerentur. Unde non dubitant Sanctus Chrysostomus et Hieronymus a hunc Matthæi locum, et ipsos ab avaritiæ avocatos respicisse. Hoc igitur erat convivium longe nobilissimum et Christo acceptissimum, cujus epulæ erant peccatores ipsi ad hoc propositi et adducti, ut eos ore doctrinæ suæ celestis contereret, et in stomachum, hoc est, cumulum electorum suorum traiceret, adeoque sibi incorporaret et suos faceret. Vidit, opinor, Matthæus Christum Dominum ab Isaaco præfiguratum fuisse, qui non tam domesticis quam silvestribus et ferinis delectabatur caribus, uti habetur, Genes. XXVII. ideoque diligebat Esau filium suum, quod de venationibus ejus vesci solet, Genes. XXV. Sed cur de venationibus, cum domi haberet agnos et pullos et similia? Quia nimirum feræ typus sunt peccatorum, qui extra Dei domum vagantur in libertate sua, absque jugo et obedientia, prædæ dæmonum quasi luporum, ursorum et leonum expositi; ac siquidem capiuntur, et ipsi ab interitu eripiuntur, et mensæ divinæ velut gratissimus inferuntur cibus, mera industria inde comparatus, unde nihil sperabatur; magis quoque sapor, quia rarus; et quia peccatores conversi sæpenumero plus proficiunt in virtute et sanctitate, quam qui nunquam lapsi sunt. Quare, sicut Isaac dilexit valde filium Esau, quod ipsius industria vesceretur ferinis; ita non dubitandum est Matthæum promeruisse esse suo hoc convivio, quo ferinam Christo quasi apponebat, ut ab ipso Domino magno opere amaretur. Quod etiam pronuntio de quibuscumque aliis, qui lucro animarum student et convertendis peccatoribus. Quomodo enim principes nulla magis delectatione afficiuntur

quam venatione, et venatores illos maxime diligunt, qui plures eis investigant indicantque feras: ita Christi Domini delectatio quasi unica et summa est conversio peccatorum; quos ut venatu caperet, de caelo in terram descendit. De hujusmodi venatoribus loquitur per Jeremiam, cap. XVI. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos: et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte et de omni colle, et de cavernis petrarum.* Piscatores fuerunt apostoli, et sunt adhuc prælati et concionatores, qui verbi Dei reti, in confertam multitudinem expanso, piscantur peccatores. Venatores sunt zelotæ sæculares, præsertim magistratus; qui non uti prædicatores, verbo Dei, sed uti venatores, vi et potestate sibi demandata, capiunt publicos et graves peccatores, fures, latrones, mæchos, maleficos, in montibus, silvis, cavernis, prostibulis latentes ac vagantes; capiunt, inquam, cum canibus seu apparitoribus sternunt venabulis et selopetis torquendo, suppliciis afficiendo, ut, vel hac ratione conversi, moriantur in penitentia, ad exemplum et cautelam aliorum. Gratam hi venatores Deo prædam offerunt, escamque sapidissimam. Quod etiam privati suo modo præstare possunt correctione, adhortatione, instructione, precibus, convertendo peccatores sibi subditos vel notos. Si enim juxta Michæam, cap. VII. *Omnes in sanguine insidiantur, et vir fratrem suum ad mortem venatur, si, inquam, hoc agunt mali, cur boni non venentur alios ad vitam?* Ergo qui nequeunt esse venatores sicut Esau, vi capiendo et sternendo peccatores, uti faciunt magistratus; sint structores velut Jacob, jugulando hædos, hoc est, peccatores domesticos: inde cibos parent patri suo, Christo ut benedictionem ejus accipiant.

CONCIO III.

AD SEQUELAM CHRISTI INCITAMENTA.

I. Majestas Christi vocantis. — II. Splendor virtutum ejus. — III. Miser et periculosus hujus mundi status. — IV. Beatus finis et merces immensa. — V. Baptismus et promissio nostra Deo facta.

THEMA.

Sequere me. Matth. IX.

Miranda res videtur Matthæi promptitudo ad sequendum Christum et telonium deserendum; non diffiteor. Existimo tamen Matthæum, non tam ad Christum accurrisse, quam ab aliis adductum vel gestatum fuisse. Describit ipse Matthæus voca-

tionem suam post sanationem paralytici, qui (ut notavit Marcuse, ap. II.) gestabatur in grabbato a quatuor portitoribus; post subjungit immediate vocationem suam. Igitur existimo idem contigisse Matthæo, quod contigit paralytico; adeoque et ipsum a quatuor bajulis portatum esse ad Christum. Fuit namque et Matthæus paralyticus secundum animam: ideo in telonio: *Sedebat, utique quia stare non poterat*, inquit B. Petrus Chrysologus, serm. XXIX. *pondere cupiditatis oppressus, et ipsa totus conscientia fraudis incurvus.* Quod si pressura et debilitate sua stare non potuit, quomodo currere potuisset? Opus ergo et ipse suis habuit bajulis a quibus gestaretur ad sequelam Christi. Quinam vero illi? Quatuor insignia motiva, quæ, meo judicio, ipsum excitarunt, ut vocantem Christum surgens mox sequeretur: quæ si et nos expenderemus, vehementer excitarent omnes ad eandem Christi sequelam et imitandam ejus vitam; quæ hic expendemus.

I. Est majestas Christi vocantis. Ipse est enim rex et dux noster, Dominus et Deus noster, qui summam et supremam in nos habet potestatem velut in mancipia sua. Quis autem civis decretet sequi præcedentem et vocantem regem suum? Quis miles ducem suum? Quis servus dominum? Cogitavit itaque Matthæus, divino lumine collustratus, majestatem Christi, sive ex miraculis, sive ex ipso ejus vultu resplendentem: interim a tam paupere et humili statu, qualem Christus duxit, minime abhorrentem; adeoque non decere, ut ipse in telonio suo, quasi in equo aut lectica splendens et dives sederet, tanto rege et Domino suo pedibus incedente et degente in egestate: *Surgens igitur secutus est eum.* Non egerunt Davidis aulici multa exhortatione, ut sequerentur regem suum exultantem a Jerosolyma aperto capite et nudis incedentem pedibus: ipsi sponte sua simili habitu regem prosecuti sunt, II. Reg. XV. Quis enim horreat navim aut etiam lintrem intrare, quem rex ingressus est? Fluvium pedibus trajicere, quem dux transvadavit? Non egerunt Hebræi admonitione, ut sequerentur Dominum (hoc est, angelum Domini) præcedentem in columna ignis, Exod. XII. Sufficiebat illis, quod columna se moveret et præire inciperet; tum enim omnia Hebræorum castra se movebant, ipsamque sequebantur. Quis enim non sequeretur tam mirabilem et plane cœlestem columnam, angelum ductorem? At quanto plus est habere ipsum angelorum Dominum pro duce viæ suæ? Quis eo movente non se moveat?

Quamquam etsi ducem nostrum præeuntem non cerneremus, satis superque nobis esse deberet vox ipsius invitantis. Quis enim rex non indi-

gne ferret, si quem subditorum postularet ad secunda castra sua, et ille, nulla justa causa impeditus, sequi detractaret? Sane Darius rex Persarum proficiscens contra Scythas, cum OEobazus nobilis Persa duos ei filios suos ad militiam concederet, tertium sibi relinqui in senectutis baculum peteret, promisit se omnes ei relicturnum, sed mox eos occidi jussit, Herodot. lib. IV. Similiter Xerxes Darii filius, cum moventi in Græcos Pythius Lydiæ rex comites daret quatuor filios, quintum velut primogenitum apud se detineret, illico Xerxes eum per medium dissecari jussit, perque media ejus membra exercitum transire, Herodot. l. VII. Fuit ista, fateor, nimia crudelitas: verum si hoc Deus statueret cum hominibus sequi se renuentibus, nullam eis injuriam inferret; millies enim magis Deo subjecti et obstricti sumus, quam regi cuivis mortali. Quod si huc accedat illa cogitatio, quæ in mentem nobis revocat, Dei Filium de caelo propter nos descendisse, ut nos aberrantes oves ad se, pastorem nostrum, vocaret et reduceret; quis tam acri stimulo ad sequendum non moveatur? Certe talis cogitatio occupavit, adeoque expugnavit pertinaces Indorum et Japonum animos, adeoque ad fidem pertraxit, quando expenderunt Sanctum Xaverium ex Europa per tot vasta maria et terrarum spatia, nullo suo commodo aut spe lucris, ad se enatasse quodammodo, ut eos Christo lucrificeret: adeo ut plane manus darent, suavique Christi jugo capita submitterent, et Xaverio se regendos committerent. Quid non possit igitur labor Christi et iter ejus de caelo in terram propter nos susceptum, ad trahendos post se homines?

II. Est splendor virtutum ejus et sanctissimum operum, quæ patravit. Solent grato odore trahi non solum homines, sed etiam feræ in societatem. Pantheræ odorifero suo anheliu dicuntur ad se allicere, etiam a longe, feras alias, Pier. l. XI. hierogl. columbæ unguento delibutæ trahunt secum ad columbarium alias columbas, ut scribit S. Basilius ad Julittam: at in humanis rebus gratior odor non est quam virtutis, quæ non solum amicos, sed etiam inimicos rapere ad amorem sui solet. Scimus in amorem et venerationem S. Antonii tractum Constantinum M. imp. ejusque filios, ut pro magno ducerent, se ejus precibus commendare, et litteras ab eo accipere: Maximum imp. ejusque conjugem in venerationem S. Martini, ut sibi gratularentur, si vel haustum vini ab eo prælibatum accipere, vel aquam manibus dare et mensam apparare: pontifices et cardinales honori sibi duxisse, si S. Franciscum, Dominicum et similes sanctos ad mensam suam adhibere possent. Et quid mirum? Sunt enim

virtuosi homines viva quædam Dei simulacra; adeo ut Lystrenses, Pauli et Barnabæ virtutibus atque operibus perspectis, dicerent: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*; et sacrificare illis vellent, Act. XIV. Quin et aliena virtus tantum potest, ut ad honorem et amorem sui homines pelliciat. Ecce enim Gabelus ille de Rhages Medorum tanto cum honore et amore salutavit juvenem Tobiam ita ut fleret præ gaudio super collum ejus? Tob. IX. Causam ipsemet explicat: *Quia, inquit, filius es optimi viri et justi ac timens Deum et eleemosynas facientis*. Denique, ipsum Deum trahit virtus in amorem ejus, qui ea præditus est, ut patuit in adolescente illo, qui dixit se adimplere omnia mandata a juventute sua. Id enim audiens Christus: *Intuitus eum, dilexit eum*: signum aliquod amoris sui ipsi demonstrans, Marci X. Quid jam igitur non possint virtutes Christi Domini ad trahendum nos in obsequium et sequelam suam, in quo omnium virtutum fons est? In quem Spiritus s. omnium gratiarum charismata et virtutum unguenta copiosissime effudit? Hinc igitur sponsa, Cant. I. ait ad Christum, sponsum suum: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, quasi diceret: *Fac me solum percipere odorem virtutum tuarum, et mox potenter trahere non me solum, sed meo exemplo etiam plures alios mihi adherentes, ad sequendum te*. Traxit immenso illo amore suo, quo: *Propter nos descendit de caelis ad terram et incarnatus est*, ad fidem et sequelam suam pastores et magos, aliosque, qui ab illis de Christo edocti sunt. Traxit humanitate et suavitate sua non solum discipulos, sed etiam Samaritanam, et per eam totam civitatem, Sichar, Joan. IV. sua sapientia et mansuetudine inter calumniatores mulierem illam, quæ exclamavit: *Beatus venter, qui te poravit*, Luc. XI. sua liberalitate et misericordia esurientem populum illum, qui cupiebat eum rapere et regem facere, Joan. VI. effusa sua erga omnes ægros bonitate et opulatione, regiones integras, Matth. XIV. sua sapientia et vi dicendi ministros pontificum, Joan. VII. ita ut eum capere non auderent, sed caperentur ab eo potius: sua dulci conversatione Zacchæum ejusque domum et alios innumeros, Luc. XIX. sua patientia et oratione pro inimicis fusa, latronem in cruce, Luc. XXIII. Denique, odore totius vitæ suæ traxit ad se post ascensionem suam mundum adeo totum ad fidem, amorem, imitationem et cultum suum. Fuit igitur hic secundus Matthæi bajulus, qui gestavit eum ad Christum, odor sanctitatis et virtutum ejus, cui, quoad posset, similis fieri cupiebat. Si enim Alexander Magnus, visa Diogenis heroica virtute et magnanimitate,

res omnes homines flocci pendente dixit: *Nisæ Alexander essem, Diogenes esse vellem*, teste Plut. in Alex. cum tamen illa virtus fucata solum esset; quanto magis, Christianus præ omnibus mundi bonis optare et simul conari debet, ut virtutum verissimarum exemplar, Christum, imitetur, adeoque velut alter Christus fiat?

III. Tertium est miser et periculosus hujus mundi status. Fuit hic, ni fallor, tertius Matthæi bajulus. Desiderabat enim jam tum (uti revelavit S. Birgittæ Amalphi ad sepulcrum ejus oranti. l. IV. revelat. c. CXIX.) liberari ab officio telonarii, velut odioso et periculoso, vili et molesto. « Voluntas mea, inquit, talis erat eo tempore, quod neminem defraudare volui, sed desiderabam invenire viam, qua separarem me ab officio isto, et toto corde adhærerem Deo soli. Prædicante igitur amatore meo Jesu Christo, tunc inflammabatur sicut ignis verbum vocationis suæ in corde meo: sic dulciter sapuerunt verba sua mihi, quod de divitiis et honoribus non plus cogitarem quam de paleis: imo mihi magis flere placuit et gaudere, quod Deus meus tantillum et tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. » Cogitabat ergo primo, aut certe cogitare potuit sedere se in cathedra pestilentiæ, et tali officio, quod a gravibus injustitiæ peccatis vix immune esse potest; quemadmodum et manus, quæ argentum et nummos tractant, nigredine quin inquinetur fieri nequit. Secundo, expendit vilitatem auri et argenti, quod non plus sint, quam vilis terra et limus, e quo sibi casulas, altariola et tempella extruunt infantes, si absit hominum æstimatio. Altaria idolis extracta ridicula plane et stulta erant unde Amos, c. VI. § IX. appellantur *altaria idoli*, Hebr. *altaria risus*, seu *derisionis* (erant enim structuræ ex auro et argento affabre factæ sed quibus insiderent turpissimæ figuræ vituli, aut piscis, aut Priapi, canis, felis aut crocodili): ita etiam cistæ et crumenæ nummis impletæ, quæ velut idola coluntur ab avaris, non sunt nisi *altaria risus* et meræ nugæ, curis et molestis plenæ, quæ veram homini salutem et felicitatem conferre minime possunt. Hinc, I. Reg. VIII. dicuntur filii Samuelis: *Declinasse post avaritiam*, Chal. *in mammonam falsitatis*, quia avaritia promittit, sed non confert vitam beatam: dat potius infelicem. Tertio, Publicani munus omnibus Hebræis summe esse exosum, uti et avaros omnibus hominibus. Videmus aves rapaces, bubones et accipitres in summo odio esse apud omnes aviculas, ab illis quoque impeti rostris et clamoribus. Nihilominus exosi sunt avari apud homines. Unde Plautus solet eos appellare *accipitres pecuniæ*: qui non minus sanguini pauperum insidiantur, quam ac-

cipitres sanguini avium. Eadem ob causam S. Chrysostomus, homil. LXVI. op. imperf. in Matth. Pharaonem vocat *accipitrem*, propter oppressionem Hebræorum. Porcos viventes aversamur, mactatos solum amamus: ita et avari cum vivunt odio habentur, mortui vero amantur cum aliorum præda fiunt. E contra vero qui sequuntur Christum, securo loco sunt, et sub ejus umbra placide conquiescunt. Anthias piscis quemcumque locum in mari incolit, is et belluarum est expers et ab urinatoribus tutus. Itaque ejus fiducia confirmati pisces audacter fœtificant et pariunt: delphini ipsi presentia exhilarati tripudiant; inde sacer piscis dicitur, *Ælian. l. VIII. c. XXVIII*. Sacer piscis Christus est, cujus præsentia sectatores suos ab omnibus demonum vitiorumque insidiis defendit, sedatisque tempestatibus, serenitatem affert. Quis e tot tantisque periculis sub talem protectorem non ocius se recipiat? Illum qui sequuntur, in summa pace et absque periculo ambulant: quia: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*, hoc est, impedimentum. Fruuntur etiam vero et solido gaudio, quod omnem absorbet tristitiam et adversitatem, quia pignus gloriæ cœlestis habent. Denique, possident justitiam, quæ etiam hominibus quibuscumque reddit eos amabiles. Uno verbo, possident regnum Dei, quod non est esca et potus, sed: *Justitia, pax et gaudium in Spiritu s.* ad Rom. XIV.

IV. Quartum est beatus finis et immensa merces, parata Christi sectoribus: regnum videlicet æternum in cœlo. Qui militiam sectantur, non solum promissione stipendii, sed etiam spe magnæ alicujus prædæ aliciuntur; tametsi sæpenumero et plerumque defraudentur. At qui Christum sequuntur, securam ejusdem Domini promissionem habent, non solum de sufficienti stipendio in hoc sæculo, sed etiam de immensis spoliis in futuro. Hinc Matth. XVI. cum dixisset Dominus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me, mox addit spem mercedis, dandæ in cœlo gloriæ, dicens: Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus*, quasi diceret: *Agite, o fideles, sequimini me fortiter, et tollite cruces vestras: quia ob hæc opera vestra laudabo vos in die judicii, et gloriæ meæ consortes faciam; sicut e contra increpabo, et a facie mea abiciam in pœnas, qui sequi me detrectaverint*. Ac ne dicerent discipuli regnum id longe abesse, et nullam sibi interim in terris dari arrham, stipendium, consolationem, subjungit: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gusta-*

bunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Itaque post sex dies duxit illorum tres in montem Thabor, et ostendit illis gloriam suam. Ubi ven. Beda ait: *Pia provisione factum est, ut, contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata, fortius adversa tolerarent*. Arrham igitur futuræ et promissæ illius gloriæ acceperunt non solum discipuli, sed et omnes in Christi transfiguratione, quæ interea sufficere nobis debet. Balaam ille, visa pulchritudine castrorum Israeliticorum et populi a Deo benedicti, exclamavit: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia*, Num. XXIII. In quæ verba S. Bern. ser. VII. in Ps. *Qui habitat*, ait: *Tantus est pietatis fructus, tanta justitiæ merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis et injustis*. Quæ virgines apud Romanos deæ Vestæ se consecrabant per tricennalem virginitatem, magnis ad id institutum sectandum provocabantur præmiis. Nam summus eis honor in urbe deferebatur, carpento vehebantur, magistratusque illis assurgebant, lictores præcedebant, ac fortuito occurrentem reum supplicio eximebant. Verum gravis etiam pœna voti violatrici manebat, defossio in terram, Cœlius, l. XV. cap. XIV. Pari modo duo illa, quæ proposuit Christus, cum nos ad sequelam sui vocavit, efficaciter sane movere neminem non debent, gloria scilicet et gehenna. Quæ eadam Achilles abbas, magnæ sanctitatis vir, monacho cuidam sibi conquerenti, quod in cella sua præ tædio perdurare non posset, in mentem revocavit his verbis: « Præoccuparis ab acedia, mi frater, quia necdum expendisti gloriam cœli, ad quam aspiramus, nec inferni tormenta, quæ timemus. In veritate autem dico tibi, quod si hæc probe intelligeres, cellam tibi tuam, quamvis collo tenus scateret vermibus, nequaquam tamen futuram molestam, » in vitis pp.

Addo, licet nullum aliud præmium expectaremus, sufficere nobis pro præmio deberet, quod ipsum habeamus ducem nos præeuntem, qualemcumque tandem fortunæ aleam cum ipso subituri. Insinuavit hoc populo Hebræorum Samuel, dato ipsis rege, I. Reg. XII. *Si timueritis Dominum et servieritis ei*, inquit, *eritis et vos et rex, qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum*, quasi dicat: *Hoc erit vestrum præmium, quia sequimini Dominum vos præcedentem*. Magnum istud præmium est, quia, ut ait Ecclesiasticus, c. XXIII. *Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ob eo*, Græca habent: *Longitudo dierum, suscipi te ab eo*, q. d. hoc ipsum pro vita æterna et beata computandum est, si quis a Deo suscipiatur, ut ipsum sequi, tan-